

Solis occubitum noctu lucet, vulgo tece dunt non tunc temporis Occidentalem à Sole esse satis sciebam (paucis enim diebus, antecedentibus ipsam una cum Ioue, cui vicina erat, Orientalem, mane cælitus obseruaueram, ut ob id impossibile foret eam Stellam, quæ tunc apparebat, Venerem seu Hesperum esse) mox sub-
sunxi, eos breui ubi crepusculum vespertinum aduentaret, visuros Stellam eam nequaquam esse Hesperum, sed aliquid insoliti & admirandiq; illic elucere. Quod etiam euentus ipse comprobavit. Vbi enim Sol Horizonta subierat, dieiq; lumen sese paulatim subduxerat, longissimam maximamq; caudam versus Ortum protendere eadem Stella visa est, idq; ea forma & colore, de quibus prius diximus, ut nullum amplius relictum fuerit dubium, illam esse ex earum numero, quæ Cometa, Crinita, Caudataq; Stella, vel (ut Ciceroni placere video) Cincinnata appellantur quas Cælo aliquandiu apparuisse, sæpius inde à quamplurimis seculis animaduersum est.

Et si vero hoc nouum ostentum non ante xiiii. diem nobis innotuit, eo quod recens è radiis solaribus emerisset, precedentibus tribus diebus Serenitate nullam Aeris versus Occasum in nostro Horizonte largientibus: tamen non defuerunt, qui 10. die Nouembris hanc eandem crinitam se conspexisse asseuerarent, præsertim ex iis, qui Oceanum Noruagicum noctibus antecedentibus nauigantes sereniore aura visi fuerant.

Eo autem die, quo nobis primum illuxit hac ipsa crinita Stella, simulatq; nocturna tenebra reliqua Sidera oculis ingerebant, proxime supra caput Sagittarij Stellati non longe à Saturno quo erat paulo eleuatiore, collocari videbatur, caudamque versus Capricorni cornua protendebat. Deinde ab hoc Sagittarij astro ad Antinoi constellationem proximis diebus velociori motu perrexit, transiitque iuxta eius manum sinistram, & inde caudam Delphini prætergressus Equulei nares permeare videbatur, capite Pegasi nonnihil ad Austrum relictâ: atque inde recta ad Stellam in dextro armo Pegasi (quæ Scheat appellatur) lentiori tamen quam ante à motu ferebatur, tandemque in spatio, quod medium est inter dictam in armo & binas minutulas Stellas in pectore Pegasi, nobis disparuit, idque post diem 26. Ianuarij Anni 1578.

Atque hic fuit huius Crinitæ cursus, generali modo consideratus, crassioreque Minerua diductus: Qualis etiam ab Artis huius imperitis, qui saltem mediocrem affixarum Stellarum cognitionem habent, animaduerti poterat.

Verum qui tantum Diuini Numinis ostentum leuiter & oscitanter præteruolare non decet penitioris Astrorum Scientia cultores, altiori & exquisitori indagine huius Cometae apparentias ex Observationibus certis deriuatas, enucleare operæpretium duxi: idque eo diligentius pleniusque elaborandum censis, quod multis ab hinc seculis à quamplurimis Philosophantium varie disceptatum

**

2

ptatum